

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Beatitudo siue beatus d
cum fonte primo

Quando dicis beate uiuere uolo,
bonam rem queris sed non hic.
Si habuit hic illud Christus, habe et tu
in regione mortis tue. Quid ille inuenit?
Attende: Veniens de alia regione,
quid inuenit nisi quod hic habundauit?
Labores, dolores, mortem.
Ecce quod hic habes et quod hic habundat.
Manducauit tecum
quod hic in cella miserie tue habundauit.
Acetum hic bibit, fel hic bibit.
Ecce quod in cella tua inuenit,
et ad magnam mensam te inuitauit,
mensam celi, mensam angelorum,
ubi ipse panis est.

Augustinus in sermone de Pascha.

Sic et tu
quando dicis: «Beatus esse uolo»,
bonam rem quaeris, sed non est hic.
Si habuit hic illud Christus, habebis et tu.
In regione mortis tuae, quid ille inuenit?
attende: ueniens de alia regione
quid hic inuenit, nisi quod hic abundat:
labores, dolores, mortem.
ecce quod hic habes, quod hic abundat.
Manducauit tecum,
quod abundabat in cella miseriae tuae.
Acetum hic bibit, fel hic habuit.
Ecce quod in cella tua inuenit.
Et ad magnam mensam suam te inuitauit,
mensam coeli mensam angelorum,
ubi ipse panis est.

Augustinus Hipponensis, *Sermones in Pascha*,
231.5 (SC 116, S. Poque ed., p.256, ll.139-
149).